

rorum, ut Sanctorum Imagines apponi solent, apponendam esse praecepit. Responsio itaque S. C. et additio juxta modum consona quammaxime esse rationi, praxi, Liturgicorum sententiis et auctoritatibus, a quibus discedere non licet.

17) SS. Trinitatis.

Licitum est SS. Trinitatem pingere, non tamen in qualibet forma, non in utero B. V. M., non sub figura hominis triplici facie instructi, non in effigie trium hominum similium. Pingitur imago SS. Tr., P., F. et Sp. s., repraesentando vel Patrem juxta Fidelium, vel Filium in sinu Patris simulque cum iis Spir. s. in columbae forma. Pingitur et Pater solus seorsim ab aliis Personis, quoniam vocem Domini in paradiso audit Adam*), Moysi quoque miro modo conspicendum se praebuit**), tum etiam Isaiae tamquam rex in solio sedens***), et Danieli veluti senex albo vestimento amictus †). Pingitur etiam aeternus filius seorsim a Patre et Sp. s., quoniam homo factus est, cum hominibus conversatus est et non semel apostolis aliisque apparuit. Repraesentatur idem cruci affixus. Pingi quoque consuevit in forma agni juxta testimonium S. J. Bapt., Prophetiam Isaiae, Apocalypsim s. Joann. ap. et epistolam I. s. Petri, quapropter eandem Salvatoris nostri Imaginem approbat Hadrianus PP. in Epistola ad Tarasium et vetustissima occurrunt hujusmodi picturarum exempla in s. Coemeteriis et in Basilicis Urbis.

Pingitur denique Sp. s. vel tamquam de coelo descendens die Pentec.

*) Genes. c. III.

**) Ex. XXXIII. 23.

***) Is. VI. 1.

†) Dan. VII. 9.

in figura linguarum ignis vel alias in columbae specie, seorsim pariter ab aliis divinis personis, quia sub his figuris factae sunt ejusdem apparitiones, quarum s. scriptura meminit. Nusquam vero invenire est in s. literis tertiam personam absque aliarum consortio in similitudinem Viri aut Juvenis apparuisse.

Constit. Bened. XIV. die 1. Oct. 1743. (Bull. r. t. XVI. p. 318 etc.)

18) Velatio temp. Passionis.

Imagines et Cruces velari debent Sabbato Passionis, etiamsi occurrat eo die festum S. Titularis vel Patroni Ecclesiae. n. 1613 ad 2 die 16. Novb. 1649.

Esse includendas non modo cruces et imagines D. N. J. Chr. sed etiam imagines B. V. M. et SS. resp. S. R. C. die 7. Sept. 1850 in Veronen ad 11. Nec discooperiri ullatenus posse occasione spiritualium exercitiorum. Ead. ad 10.

Non debent illae detegi, quando in hebdomada Passionis occurrit festum s. Titularis vel Dedicatio Ecclesiae. n. 1613 ad 3 die 16. Novb. 1649.

Ad dubium: An consuetudo servanda videatur, qua inductum reperitur, ut Imagines diverso tempore a rubricis praescripto cooperiantur? S. C. resp.: Ad Ordinarium literas dirigi, quibus eidem injungatur observatio rubricarum, nisi grave scandalum paritura putetur et desuper scandali hujusmodi motivis instrui ab eodem Ordinario. n. 2049 die 17. Apr. 1660.

Cruces et Imagines Sanctorum, quae in iconibus altarium reperiuntur, debent in I. vesp. dom. Passionis tegi. n. 2241 ad 2 die 4. Aug. 1663.

Ad dubium: In Cathedralibus, Collegiatis et Parochialibus Ecclesiis Crux Altaris, in quo Missa Conventualis vel Parochialis celebratur, tegine debet

ipsa Dominica Passionis post Evangelium, an Sabbato praecedenti? Dicitur enim in Capella Pontificia post Evangelium in Dominica Passionis tegi. S. C. resp.: „Serventur Rubricae, nimirum: tegendas esse Cruces et Imagines in primis Vesperis“. n. 4669 ad 36 die 12. Novb. 1831.

Vd.: Parasceve (missa; decr. Clementis PP.) Imago (discoop.)

19) Velatio temp. expositi SS. Sacramenti.

Vd.: Instructio Clem. §. 3. n. 3—9; §. IV. n. 6. 7.; §. XXIV. n. 21. etc.

Ad dubium: 1. An velari debeat Simulacrum s. Joannis Bapt. vel potius supracentenaria consuetudo servanda sit, exponendo nimirum SSmum. cum Simulacri detectione, quando ob ingruentem publicam calamitatem collectis et elargitis eleemosynis hanc expositionem votum populi exoptulat?

2) Quando natalitia Solemnitas hujus Sancti Titularis Ecclesiae et Oppidi principalis Patroni occurrit aliqua die infra octavam SS. Corp. Chr.?

3. Quando quotannis mense Novbr. Oratio 40 hh. peragitur. S. C. resp.: In casu, de quo agitur, servandam esse consuetudinem, excepto tempore expositionis 40 hh. n. 4639 die 27. Sept. 1828.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Dum primum haec Causa proposita fuit in S. R. C. Ordinaria coacta die 22. Mart. 1828 placuit Emis P. rem differre et ampliari judicium. En quae fuit ratio. Quaestio agebatur, an velandum aut discooperatum relinquendum esset Simulacrum S. Joannis B., quod magna in veneratione est apud Populum Paroch. Eccl. Castriveterani, Dioec. Mazarien., dum publicae adorationi patet in Throno SSmum. Eucharistiae Sacramentum? Hac data oc-

casione excitatum fuit Dubium: num expediret extendere praeceptum legendi Tabulas Altarium, ut fit ex praescripto Instructionis Clementinae Romae in Oratione 40 Horarum, ad alias omnes expositiones, quae per annum fiunt vel pro adimplendis piis Legatis ex Fidelium foundationibus vel in Novem-dialibus et Triduanis precibus, quae frequenter occurrunt, praesertim vero ante Festivitates B. M. V. vel alia quacumque de causa? Ideo, suspenso judicio, responsum fuit: ad D. Secretarium cum SSmo. juxta mentem. Mens erat, ut fieret relatio SSmo. D. N. Leoni XII. P. M., cui tamen placuit suam mentem non aperire, sed mandavit, ut iterum proponeretur in proxima (scilicet Congregatione). Coacto igitur altero Ordinario Emrum. P. S. ritibus tuendis praepositorum Coetu, re maturius in utramque partem discussa libratique argumentis, quae afferri poterant, unanimiter fuerunt in sensu, quod magis expediret nihil innovare nulloque positivum Decretum interponere; quapropter tribus propositis Dubiis collective responsum fuit: In casu de quo agitur servandam esse consuetudinem excepto tempore expositionis 40 Horarum. Et S. S. hujusmodi responsum adprobavit et confirmavit. Supradicta autem brevior Rescripti formula aequivalet alteri relativae ad singula Dubia videlicet:

Ad I. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Ad II. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Ad III. Negative.

Quod igitur attinet ad decisionem primi et secundi Dubii ea prudentia usa est S. C., quam servare aequum est, quando in quaestionibus, quae ad extrinsecam disciplinam pertinent, declarari oportet, quid magis deceat vel magis expediat. Etenim in casu, iis omnibus, quae hinc inde afferri pos-

sunt, aequa lance librat, inclinari pondus videtur pro consuetudine servanda quam pro novo praecepto indicando; unde rem serio meditati nihil observetur, quod obstaculum Religionis contrarium interponat. Secus vero periculum immineret offensionis et scandali, ubi mos viget, si nova lex diceretur de vetandis Imaginibus in omnibus expositionibus, ubi viget consuetudo contraria. Equidem Bauldrius in Manuali s. caerem. part. 3. c. 17. n. 2. et *Bissus* verbo *Expositio SSmi. Sacramenti* n. 232. §. 5. nec non *Thiersius de expositione SSmi. Sacramenti* c. 4. n. 12., quos sequitur s. m. *Benedictus XIV.* institut. eccl. quae est 30. editionis lat., sunt in sensu, quod: *Non liceat, Sacramento exposito, apertas teneri Imagines B. M. V. et Sanctorum, quia praesente Domino cessare debet honor, qui Servo adhibetur, et praesente Sole omnia Astra splendorem amittunt.* Verum equidem id est: congrua tamen congruis sunt referenda; atque ita praefatae auctoritates intelligendae, quod confundi non debent Cultus diversae species, *Latriae* scilicet, qui soli Deo O. M. debetur, *Hyperduliae*, qua veneramur Deiparam Virginem, et *Duliae*, quem obtinent ceteri Sancti. Has distinctiones omnino tenendas servandasque esse ipsa suadet Religio, quia nullo pacto licet diversas Cultus species simul confundere et Coelicolis dare id, quod convenit et debetur uni Deo; vel quod ob suam excellentiam supra ceteras creaturas Deiparam colimus; nihilominus cessat omnis dubitandi ratio, quia simul cessat omnis confusio Cultus, si unicuique tribuatur quod ei debetur. Dum enim ad Deum confugimus, ut unicum Creatorem et Datorem honorum omnium, preces ad eum dirigendo Cultu *Latriae*, nonne possumus mediatricem Deiparam adhibere apud

Eum et Coelicolas intercessores? Imo et fieri ita debet, quia reipsa nullatenus *Hyperduliae* et *Duliae* Cultus confunditur cum Cultu *Latriae* uni Deo debito, prout habent *S. Thomas* part. 3. quaest. 25. articul. 5. et *S. Bonaventura* in 3. dist. 9. n. 2. Conveniens imo est, ut deprecatores adhibeamus Coelicolas et ex Ecclesiae instituto faciendum ita est, ut quod nostris precibus non valemus, intercessionem, ope ac patrocinio B. M. V. et Sanctorum consequamur. Secus enim, si in sensu rigoroso suprelatae auctoritates essent accipiendae, nequaquam liceret Sacramenti expositionem conjungere cum respectivo Cultu B. M. V. et Sanctis debito et abrogandae forent Novendiales et Triduanae preces, quae fiunt ad honorem Deiparae et Coelicolarum cum Sacramento exposito, imo etiam abrogandae forent Litaniae Lauretanae, quae ad implorandum B. M. V. praesidium fere semper ante Hymnum *Tantum ergo* recitantur. Carpenda praeterea esset ipsa Clementina Instructio, quae jubet ut, dum Sacramentum exponitur pro Oratione quadraginta Horarum et priusquam Populus dimittatur cum ejusdem Benedictione, recitentur Litaniae Sanctorum cum precibus. Quis autem est qui non videat, quod si praefatae auctoritates accipiendae essent strictissime nullaque facta distinctione et discrimine, censura impeteret institutum probatosque Ecclesiae mores, quod vel simpliciter cogitare piaculum est? Nam Litaniae Sanctorum, Lauretanae nec non aliae preces recitari solitae et ab Ecclesia adprobatae, permissae et quandoque in publicis praesertim necessitatibus etiam praescriptae, nihil detrahunt Cultui *Latriae* SS. Eucharistiae debito, quia Cultus omnis refertur ad Deum, ut ad principium et finem ultimum; Deiparae vero et Sanctorum invocatio fit, veluti supra

jam dixi, tamquam medium, ut, adhibitis intercessoribus, facilius a Deo obtinere possimus, quod petimus et fragilitas nostra non praesumit. Recte igitur sapienter prudenterque S. C., dimisso consilio extendendi ad omnes expositiones praescriptum velandi Imagines et Simulacra Sanctorum, magis expedire censuit, nullam super hoc innovationem facere, respondens ad prima duo Dubia: *consuetudinem esse servandam*, seseque conformavit responsioni alias datae in Ordinario Conventu diei 26. Jan. 1793. Consuetudo erat, ut singulis Annis solemniter expositio fieret in Sacello Paulino Basilicae Liberianae, patente vetustissima Imagine B. M. V., quae ibi magna est in veneratione: verum, nova exstructa machina cum in altum nimis assurgens, impedimentum afferet detectioni praefatae S. Imaginis, orta quaestio inter Capitulum et Ecclesiae Patronum ad saepedictam S. C. delata fuit propositoque Dubio: An SSimum Sacramentum publicae venerationi sit exponendum in Altari Deiparae Virginis, hujus Imagine detecta vel potius tecta? responsum fuit: *In casu, de quo agitur, servandam esse antiquam consuetudinem.* Ne autem sit, qui existimet ad alios casus extendendum non esse Decretum, quod non est generale, sed relativum ad speciem propositam; nam si in quibuslibet expositionibus cooperiendae essent Imagines Deiparae et Sanctorum, quia, ut ajunt Auctores supra laudati: *Praesente Domino omnium summo cessare debet Cultus Servorum*: neque consuetudo, etsi immemorabilis, neque conventio neque lex fundationis neque alia quaelibet gravissima cogitanda ratio posset cohonestare detectionem Imaginum, dum Sacramentum est publice expositum. Itaque illud tenendum est, quod supra dixi, nempe relata verba in sensu congruo

sunt accipienda et dummodo Cultus non confundantur, neque Deiparae et Sanctis honorem illum tribuamus, qui soli Deo debetur.

Si ita est, sciscitandi fit locus, curnam tegendae omnino sunt Imagines in Oratione quadraginta Horarum, non vero in aliis vel minus solemnibus vel etiam solemnissimis, quae non raro per anni circulum fiunt? Praesentissima se offert ratio discriminis. Pro diversitate functionum diversoque earumdem fine aliquid decet et licet in una, quod in altera, quamvis idem sit utriusque subjectum, non expedit. Porro Oratione quadraginta Horarum ideo instituta fuit, ut *diu noctuque, quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione incensum in conspectu Domini dirigatur*, ut legitur in Constitutione Clementis VIII. *Graves et diuturnae* data 25. Nov. 1592. Instituti itaque praecipuus et unicus est finis: ergo, durante Oratione, quae numquam intercipitur, omnis Cultus soli Deo exhibendus est, idcirco expedit velari Altarium Tabulas aliaque ita disponere, ut Populus sine distractione totus sit in adoranda Eucharistia intentus.

Pertinent haec ad duo prima Dubia: sequitur responsio ad tertium, quae excipitur *tempus expositionis quadraginta Horarum.* Atque hic quaeri posse videtur: quomodo intelligenda et accipienda sit hujusmodi exceptio, nempe, num habeat vim generalis Decreti an potius unam respiciat Ecclesiam, pro qua Dubium propositum fuerat? Mihi quidem videtur peculiaris, non generalis, quia dum aliqua dispositio in S. C. fit, quae generalis regula detur ubique servanda, id clare disponitur. Hoc factum non est et fieri debuisset, quatenus S. C. regulam generalem dicere voluisset. Praeterea quia aliud habemus Decretum latum sub die 12. Jul. 1749 quoad Dubium:

An Constitutio pro Oratione quadraginta Horarum Romae jussu Clementis XI. edita, etiam extra Urbem servari possit ac debeat? responsum fuit: *praedictam Instructionem extra Urbem non obligare, laudandos tamen qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis Locorum statuatur.* Dicam ulterius, si introspectatur mens S. C. latens sub verbis illis: *excepto tempore expositionis quadraginta Horarum*, ea esse videtur, ut maxime convenire credat et exoptet, quod ubique praescriptum Clementinae Instructionis, saltem quoad Imagines velo tegendas tempore Orationis 40 hb. servetur, omnem, quae dirimit controversiam, est formula responsionis, quae incipit: *In casu, de quo agitur: quae dictio initio Orationis evincit, decretum coarctari ad unam speciem propositam, nec ulterius progredi, quamobrem minime adversatur alteri supra relato Anni 1749.*

Imago animae in purgatorio non debet apponi cor. SSmo. expos. Vd.: Instr. Clem. §. IV. n. 6.

20) Veneratio.

Vd.: *Imago* (expositio); *Reliquiae* (superimpon. tabern. n. 4578 nota); *Imago Titularis.*

IMMACULATA.

(*In Lytan. B. M. V.*)

Vd.: *Lytaniae B. V. M.* (add. licita; decr. n. 4339.)

IMMACULATA CONCEPTIO B. V. M.*)

1) Dies fest. privilegiatus.

Urbanus PP. Octavus

Cum Administratores Ecclesiae et Hospitalis s. Jacobi Nationis Hispanorum

*) Vd.: *Breve Pii V. die 30. Novb. 1570* de prohibitionem disputandi in publ. prae-

niorum de Urbe cupiant festum immac. Concept. B. V. M., quod quandoque in 2. dom. Adv. incidit, sub ritu dupl. I. cl. celebrare posse, Nos, piis dictorum Administr. votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdictionis altisque eccles. sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequ. harum serie absolventis et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eis-

dicationibus de Concept. B. M. V. aut de ea vulgari sermone scribendi vel dictandi. (Bull. rom. tom. II. p. 343 ed. Luxemb. 1727.)

Breve Pauli V. die 6. Jul. 1616. (Ibid. t. III. p. 391), et *12. Sept. 1617* (ibid. p. 400); *Breve Gregorii XV. die 24. Jun. et 28. Jul. 1622* (ibid. p. 477).

Breve Alexd. VII. de die 8. Decemb. 1661 in Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 152, quod continet innovationem constitutionum et decretorum de hac re editorum.

Presbyteri Societ. Jesu jam ex indulto die 17. Sept. 1667 (Clem. IX.) off. et missam Concep. imm. B. V. M. cum oct. de praeepto celebrarunt.

Anno 1667, 21. Octbr. promulgata est Constitutio Clem. IX., ut off. et missa Concep. immac. B. V. M. cum oct. in Urbe ac universa S. R. E. temporali ditione de praeepto recitetur. (Bull. mag. tom. VI. p. 254). Idem Indultum concedit Clem. IX. *Fratribus Ord. Eremitarum s. Augustini* die 31. Oct. 1667. (Ibidem p. 355). *Constitut. Imoc. XII. die 15. Maji 1693, ut Off. de imm. Concep. B. V. M. ubique terr. cum octava recitetur* ab omnib. Christif. tam saec. quam regul. utriusque sexus. (Ibid. t. VII. p. 219); *Constitut. Clem. XI. die 6. Decb. 1708, ut immac. Conc. B. V. M. de praeepto ubique observetur* (Ibid. t. VIII. p. 59).

dem Administr. nunc et pro tempore existentibus, quod de caetero in dicta Ecclesia festum immac. Conc. B. V. M. etiam ipsa 2. dom. Adv., cum in illam incidit, sub ritu dupl. I. cl. juxta rubr. Miss. et Brev. rom. celebrare libere et licite valeant, cum hoc tamen, quod in missis tam priv. quam sol. et in utrisque vesp. fiat comm. de fer. curr. et cum in dom. incidit, de ipsa dom., cujus etiam Evang. legatur in fine, ap. auctoritate tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur.

Non obstantibus constitut. et ordinat. ap. ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione ap. vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romae ap. s. Mar. Maj. sub Annulo Pisc. die 26. Novemb. 1631 Pontif. Nostro Anno IX.

Vd.: *Immac. Conc. B. V. M.* (Transl.) *De Celebratione festi Concept. B. V. M. per Capellam pontificiam in Basilica s. Mariae Majoris*, vd.: *Constitut. Bened. XIV. die 26. Novb. (3. Decb.) 1742.* (Bull. r. t. XVI. p. 283.)

2) Hymnus.

Ad dubium Benedict. Einsidl: an infra octavam immac. Concept. B. V. M. in dominica 2. vel 3. Adventus etiam in hymnis dominicae: *Conditor alme* etc. sit dicenda clausula: *Gloria tibi etc. vel: Laus, honor etc.*? S. C. resp.: Omnes hymni terminentur: *Gloria tibi Dom., qui natus etc.* n. 4044 (*Alia dubia*) dub. 12. die 5. Maji 1736.

3) Officium.

Ad dubium: 1. An Magister Gen. Ord. Praedicatorum potuerit absque consensu Capituli Gen. et Superiorum inferiorum Ord. ejusdem legitime ob-

tinere a S. S. et acceptare pro toto Ord. Octavam solemnem in Festo Concept. B. M. V. et additionem particulae: *Et Te in Conceptione Immaculata* apponendam Praefationi Missae Conceptionis, non obstante quod in aliquo Capitulo Gen. Ord. antedicti (ut asseritur) praescribatur nullum novum Officium posse acceptari in Ordine, nisi a Capitulo Gen.? Et quatenus possit,

2. An ea facultas obtinendi et acceptandi, de qua supra, ita conveniat Superiori Gen., ut non indigeat consensu Capituli gen., etiamsi aliquandiu decretum fuerit a S. Sede (uti aliqui volunt) acceptari non debere nova Officia, nisi a Capitulo generali quum Magister Gen. juxta Constitutiones Apost. et Ordinis Praedicatorum possit solus facere id, quod ipse agere potest cum Definitoribus Capituli Gen.?

3. An stante acceptatione solius Magistri Gen., sit in facultate sibi succedentium Superiorum Gen., vel Capituli Gen., vel Superiorum inferiorum acceptare vel non praefatam Octavam solemnem et particulam: *Et Te in Conceptione Immaculata*, eo quod in Decretis concessionis datis die 10. Decb. 1843 nullum imponitur debitum, sed tantum dicitur „S. S. . . de speciali gratia benigne annuit juxta petita?“ Et in casu negativo,

4. An omnes Fratres et Moniales Ord. Praedicatorum adigentur celebrare Festum Conceptionis B. M. V. cum Oct. solemnem: et omnes Sacerdotes ejusdem Ord. ex praeepto pariter teneantur addere Praefationi Missae verbum: *Immaculata*, et dicere: *Et Te in Conceptione Immaculata*: ac idem servandum sit in omnibus utriusque sexus Ordinis Ecclesiis? Et si affirmative,

5. An hoc ipso praeepto adstringantur etiam ii omnes, qui sentiunt B. V. conceptam fuisse in culpa ori-